

Arentab eo, quod nocet, aliquid forte diceret: at proponere illum sponte moueri, est absurdum. Ad hæc si calor properat, vt opem ferat afflictis partibus, non id faciet semper expelliendo (vt ille statuit) quandoquidem non est semper opus expulsione ad id remouendum, quod infestat. Nam sæpe sola concoctio malis medetur: quod si quædam sunt vitia, quæ expulsionem requirant, concoctio praire debet: non ergo vt solum expellat, sed etiam vt concoquat calor, interna viscera petere debet. Addo naturam esse, quæ vim habet expellendi, attrahendi, retinendi, & concoquendi: calorem verò esse naturæ instrumentum, & ipsum attrahere dixerunt aliqui, expellere verò nullus. Cæterum ad dolentem partem extuduntur quidem humores, & spiritus à vicinis membris, quæ cum mouentur ad expellendum quod molestat, simul exprimunt materiam, quam in se continent: sed interim calidum innatum sponte cò non accedit, vt opem ferat dolenti parti, quam potius noua adducta materia aggrauat. Dixit Hippocrates vniuersum corpus esse conspirabile, & confluxile: id est apertum, multisq; meatibus per foratum: at nunquam dixit membra corporis conspirare, vt in malis mutuo se adiuuent: quoniam si nō gula querunt sua commoda ex suis facultatibus. Nec minus quidem calidi nativi accessus obest aliquā do partibus, quām prospicit: nam absurdum est, si credimus in accessionibus febrium calorem ad interna viscera abire, vt cordi à putrido vapore affecto auxilium ferat: quandoquidem eo tempore omni ratione nitimur, cum ad externa membra reuocare: tanquam ob sit cordi, & vniuerso animali illius contractio. At si calor cor petit in principio accessionum, vt expellat vapores illos putridos, cur idem non fiet in ipso vigore accessionis, & febris? quo tempore febris calor, & qui ex eo nascuntur vapores putridi, maximè abundant. Igitur calor nō mouetur ad interna viscera, vt semper expellat, aut expelliendo corpori opem ferat. An verò fiat frigus inuadente febre ob humores, qui à venis in musculos transmittuntur) nolo nunc docere, id enim in opere nostro de febribus commodius explicauimus. Cæterum calorem, qui est paucus colligi, certum est: non tamen id fit vt ipse augēatur, roboreturque, vel vt concoctionem perficiat: sed cogitur retrahi ob alias causas: & interim ipsè augetur, concoctionemq; iuuat. Nam si calor ob debilitatem assuupto cibo contrahitur, & ob id externæ partes refrigerantur, cur id in hecticis, & tabidis, maximè non fit: & magis in æstate, quam in hyeme: est enim uentriculus in illis, & eo tempore ad concoquendum admodum infirmus. Hæc obiter ad ea quæ Montanus de partium externalium refrigeratione scribit. Ego verò in hac re dicam quod sentio, ac primum docere conabor causas, quibus contingit eas partes refrigerari: deinde quæ causæ faciant, vt non solum calor externa membra deserat, sed etiam ad cor, vicinaq; ei viscera contrahatur. Refrigerant externa membra externum frigus: & quæ calidum ab illis partibus extrudunt: nec non quies, & oculum externalium partium: ut etiam actiones quæ à se illud repellere possunt. Idem præstant actiones internam, quæ calidum ad se aduocant, atque etiam illatum calor. Addo defectum subiecti ipsius caloris, & internam refrigerationem, & cordis ipsius uitia, quibus propria forma, & vis, quæ calorem signit, permitur: quæ quidem ita esse ostendo. Naturale enim est, vt contrarium suum contrarium deficiat, non mirum ergo, si externum frigus, externas partes refrigeret. Extrudunt calorem ea, quæ humores, & spiritus quo ille nititur, suamque vim exercet, ab externali partibus expellunt, quod facit frigus. Nam illud non solum refrigerandi, sed etiam pellendi vim habet, nec non quæ extrinsecus astriogenit. Præterea ipse partes externali, quum mouentur, vt in mittant in internas suos humores, & spiritus, quæ ratione in cholera morbo, & sanguinis profusio per internas partes, externa membra refrigerari contingit. Quoniam verò natuum calidum naturæ est instrumentum, meritò fit, vt remotis obiectis, quiescentibusq; externali membris, illud internas sedes petat, vbi semper ferè aliquid esse solet, quod agat, ne quid ociosum in natura sit, siue ille id sponte faciat, siue potius ab internali partibus aduocetur, hoc pacto videmus in oculo, vbi nec sensus, nec motus excrecentur, quiescentque principes animæ facultates, externa membra refrigerati, deficiente eo, quod ad illas calorem allicit. Ut autem vniuersæ partes vim habere agnoscuntur, ducendi ad se calorem, ita nonnullæ sunt, quibus scilicet ratio, & imperium est à natura concessum, quæ eundem à se repellere valent, vt enim ratio mouet, & suscitat irascibilem facultatem, & eam compescit, quando vult, sic absurdum non est, eandem posse naturæ instrumentum atticere, & repellere, quando co opus non haberet, vel vt non vult, quomodo ostendemus somnum fieri, iubente ratione, & voluntate. At verò partes internæ cause sunt, vt calidum innatum externali membra deserat, vbi enim illæ calor opus habent, illum ad se adducunt, quo fit ut externa membra abeunte calido influente frigeant. Sunt autem ex partibus internis, quæ calorem aduocant, cò quod illo opus habeant ad sua opera peragenda, quo modo uentriculus calore utitur, dum alimentum concoquit, aliènè, ut cor, certis habet: passiones, certos motus, quæ peculiari quadam ratione, calorem contrahunt, ut in timore, & tristitia contingit, nam ut in ira, & gudio: cò certos edit motus, per quos calor expanditur, sic in timore, & tristitia: alios facit, quos necessario sequitur caloris contractio. Non ergo per timorem calor ad cor properat, ut expellat quod ei obest, aut cor ipsum trahit, quod cur faceret magis quām in ira: sed quod uarias habeat facultates, quæ cum mouentur, necessario sequuntur uarij caloris motus intro, extra, nunc æ qualiter in omnes partes. Itaque cum dicimus interna membra, quum aliquid agere coguntur, calorem ab alijs partibus

Ioannis Argent. de Somno & Vigilia.

B 2 ad